



Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Formula publicandi tabellam paulo an requam processio inchoetur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10502

& Magistri Cæremoniârum.

An compromissarij electi.

Et cùm crastino die sessio prima habenda esset, tabellis publicè propositis in hæc verba indicta fuit.

Crastina die, quæ erit iiiij. huius mensis, mane hora 10. Deo benè iuuante, initium erit Synodi Diœcesanæ xi. Mediolanensis. Ex Cancellaria Archiepiscopalij die iiiij. Maij 1584. subscripta N. Can. Ordinar. Cancell. Archiepisc.

Hodie sub vesperum ad præscriptum in omni Ecclesia solenni campanarum sono significatio facta est Synodi postero die inchoandæ: mane verò, qui fuit dies iiiij. item pulsatum est, ut significaretur celebritas Synodalis conuentus.

Item certa significatio orationis pro Synodo,

Sessio Prima.

In Nomine Domini Amen. Anno à Nativitate eiusdem M.D.LXXXIII. Die iiiij. Maij, Pontificatus Sanctissimi D. N. Domini Gregorij XIII. &c.

Illustriss. & Reuerendiss. in Christo Pater, & Dominus noster Archiepiscopus Sanctæ Ecclesiæ Mediolanensis, hoc mane & die pro celebratione Synodi Diœcesanæ vndecima indictæ, de more rem Synodalem solenni ritu aggredi volunt, Reuerendo Capitulo, & Clero Metropolitanæ in aula magna congregatiōnium Synodalium propè sacellum in ædibus. Archiepiscopalibus congregato, è cubiculo cum cappa egressus, eam exxit, facta manuum lotione; Albam, stolam, & pluiale rubri coloris, ac Mitram pretiosam induit. omnes item Canonici ordinarij, & officiales, pretiosa paramenta, quisque pro sui ordinis ratione induerunt; ac ita processionaliter ad Basilicam Metropolitanam Illustriss. Dominus deductus est, comitantibus, & sequentibus plurimis Prælatis, & protonotarijs, rocheto induitis, & Seminario, ac populi frequentia. Vbi ad atrium Metropolitanæ peruentum est, soleni campanarum & organi sono exceptus, de more in limine ostij maioris paulum consistens, Reu. Capitulum, & alios ibi præsentes aqua benedicta a-

spersit. Inde ad altare maius venit, paululum precatus est; postea ad federa Archiepiscopalem accessit: quo loco horæ tertiae officium inchoauit: & dum psalmi per cantores alternis choris solenniter canerentur, statas preces ex libro Pontificali recitauit; sandalia, ac dalmaticas, & pluiale superinduit processionis gratia. Horæ tertiae officio perorato, cùm Clerus vniuersus sacerdotalis & regularis conuenisset, statim inchoata fuit processio ad Basilicam Sancti Ambrosij singulaq; Capitula & Collegia suo loco procedebant, ex ordine vocationis factæ.

De ordine Processionis.

Processionis ratio & ordo is fuit, quæ in propria Tabella impressa Illustriss. Dominus ex suggestu explicari iussit. Tabellæ verò omnibus præfectis processionis constitutis, & Præpositis Collegiarum Vrbis, & Diœcesis, ac Vicariis foraneis dum ad processionem conueniebant, per Magistrum Cæremoniârum distributæ fuerunt, quod rectius tota processionis ratio iniretur.

Formula publica di Tabellam prædicatam paulò antequam processio inchoetur.

Præpositi, Sindici Vrbis, Vicarij Foranei, apud se Tabellam hanc habent, & in suo quisque Clero rectam illius executionem current. Præfecti disciplinæ Synodalis in eam curam incumbant vniuersè & sigillatim, ut hæc ipsa præstentur ad præscriptum, adhibita etiam opera clericorum designatorum.

Postea verò, quam à processione clerici ad Basilicam Metropolitanam rediit, ordine per sedilia oblonga, prout designatio facta requirebat, ab ijs dispositus est, quos huius rei designationi Illustriss. Archiepiscopus instituerat.

Præterea quod diligentius & accuratius disciplina Synodalis à Clero seruatur, nec verò quidquam committetur, quod à loci Sanctitate, & Synodal actione alienum esset, certis Synodis lo-



eis conspicuis intra septa sessionalia in omniū conspectu proposita fuit Tabela disciplinæ Synodalis impressa.

Hæc habetur item supra pag. 864.

De Missa.

Processione absoluta, Illustriss. Archiepiscopus ad sedē Archiepiscopalem sub vmbella se recepit, ibi q; pluviale exuit, & casula sumpta ad altare progressus, Misericordia solennia peregit. Quibus absolutis, iterum casula, & dalmaticis depositis, Pluviale induit, & in sessionem, quæ in ingressu Chori ad pri mos gradus dispensata erat, cum Reu. Capitulo, & Clero Metrop. descendit; reliquis vero Clerus in gremio Ecclesiæ paulò inferius ordine confidebat.

De precibus.

Omibus in Synodo, & loco benedictionis ordine confidentibus, Illustriss. Archiepiscopus statas preces ad inchoandam Synodum ex libro Pontificali surgens exortus est.

Oratio mentalis per Reuer. Archidiaconū indicta his verbis. Orate Fratres, ut in Pontificali, tum litanie, & alia de more, & Euangelium de suggestu.

De Concione & alijs deinceps.

T'VM. Illustriss. Archiepiscopus suggestum ascendit, habuitq; concionem, sicut & reliquis deinceps diebus. Ex vero conciones supra positæ sunt fol. 78.

Absoluta concione, Illustriss. Archiepiscopus ad sessionalem locum rediit. Hym. Veni Creator spiritus canitur, ac etiam reliqua ad præscriptum Pontificalis peracta sunt.

Illustriss. Archiepiscopo sedente, indicio silentio per Archidiaconum, Cancellarius præunte Magistro Cærimoniarum ad Illustriss. Archiepiscopum accessit, & ab eodem decreta, quæ de suggestu legeret, accepit: atq; illa quidem hæc sunt, quæ sequuntur.

Decretum de modo viuendi tempore Synodi, seu de disciplina Synodali. Illud

autem supra habetur secunda parte Actorum in Synodo Dioecesana VI. & VII. pag. 73. & 77. decr. 1.

Deinde lectum fuit decretum de ministris Synodalibus quod incipit, Quoniam verò in huius Synodi cura: & habetur supra pag. 73. decr. 1. ad finem. Itē decretum de præiudicio non afferendo. Habetur supra pag. 74. decr. 3.

Decretum de non discedendo. pag. 77. decr. 2. Cui illud etiam adiunctum est.

Qui item intersunt, à sessionali loco non discedant, sine facultate à nobis, seu Vicario nostro Generali, alijsq; Ministris à nobis deputatis.

Postea decretum de oratione publica. Habetur supra pag. 77. decr. 3.

Tum institerunt Promotores pro fidei professione emittenda.

Instantia Promotorum.

Illustriss. ac Reuerendiss. in Christo Pater, & Domine &c.

Caut sanctum Concilium Tridentinum, ut omnes, qui in posterum beneficia Ecclesiastica assecuti sunt, & qui Synodo Dioecesana conuenire debent, in ea Synodo, quæ primo quoque tempore celebrabitur, fidei professionem recipient, profiteantur, & præstent, prout illa Tridentina sanctione expressum est: ideo nos N. & N. huius XI. Synodi Promotores, humiliter petitum, & requirimus, sanctionem illum legi, & ad præscriptum, ab ijs qui tenentur, omnia & singula præstari.

Tum decreto de professione fidei, quod habetur supra pag. 75. decr. 5. & binis illis constitutionibus, vna scilicet Tridentina, altera Provinciali, ac formula ejusdem professionis de suggestu lectis, qui fidei professionem præstituerant, omnes corā Illustriss. Archiepiscopo genuflexi, donec formula Piij III. ex suggestu pronunciata, & lecta fuisset, paulatim deinde terni & quaterni ad eundem Illustriss. D. accelerunt, & fidei professionem breui hac formula emiserunt, & ad sancta Dei Euangelia, quæ Illustriss. Archiepiscopus suis ministris